



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

IX. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Salvator Ord. S. Francisci, cum quatuor infantes furdos & mutos ad se delatos videret, solitâ in Deiparam fiduciâ animatus pro eorum medela *Ave Maria* recitavit, nec defuit vocata patrocínio, nam hi vocis & aurium usum acceperunt. *Chron. Ord. to. 4.* Est, quæ linguas infantium facit esse disertas.

B. Salvator pro tua erga Deiparam confidentia te rogo, ut qui tam brevi precatione tantam ejusdem ope gratiam impetrâsti, mei pariter miseraris, & à Deipara causam aurium & linguæ custodiam impetres, ut nec hæc audire, nec illa loqui appetat, nisi quod animæ salutare sit. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum &c. f. 195.

Ad quod impetrandum: cum hodierno Gabriele de Ancona Ord. S. Franc. sæpius Mariam, ut mihi præsentem deceret, venerabor.

Omnia spiritûs S. dona. quibus vult, quando vult, quomodo & quantum vult per manus Virginis administrantur. *S. Bernard.*

Quæstio: An Deipara possit dici, habuisse infinita merita? *v. Cardenas.*